

**N**isi jam erimus, quia iterum aliquid scribendum & ad profana digrediendum fuerit, ecquid, antequam præsentis Declamatoris nostri materiam attingamus, ad superius *schediasma CIIIdum* addere & subnotare potuerimus. Diduxerat autem iste Declamator præteritus stylō solutō totam illam *Juvenalis satyram quartam-decemam*, illam *in iuris statutis*, parentibusq; utriusq; sexūs non temere aut obiter inculcandam, si forsitan (quod in *ultimā dicti Programmatis facie monueram*) Catechetis publicis, sanctis illis & religiosis monitoribus, nollent auscultare. Nihil sanè prohibeat, *Aristotelem* heic aliquem aut *Plutarchum*, *Ciceronem* audire aut *Senecam*. Nam quod *Tertullianus* sub fine secundi sæculi Messiani præscripsit, *Quid Athenis & Hierosolymis? quid Academia & Ecclesia? quid hereticis & Christianis?* nostra institutio de portico Salomonis est, qui & ipse tradiderat Dominum in simplicitate cordis esse querendum. Viderint qui Stoicum & Platonicum & Dialecticum Christianismum protulerunt, nobis curiositate opus non est post Christum JESUM, nec inquisitione post Evangelium: Cum credimus, nihil desideramus ultrà credere, hoc enim prius credimus, non esse quod ultrà credere debeamus. Quicquid, inquam, heic præscripsit (*de Prescription. adv. heretic. capp. VII, IIX.*) de rebus & articulis fidei præscripsit, de quibus nos ex professo jam non agimus.

Attendite igitur, si qui *Paulio Gisalitæ gentium Doctori* renueritis, vagæ juventæ summo moderatori & Rhetori M. *Fabio Quintiliano*. Is hunc in modum scribit (*lib. I. Institut. Orator. c.3.*) Utinam liberorum nostrorum mores non ipsi perdere-  
“mus! Infantiam statim deliciis solvimus. Mollis illa educatio,  
“quam indulgentiam (*α*) vocamus, nervos omnes & mentis &  
cor-

(*α*) *Indulgere propriè est contrarium & urgere. Urgere est severi & pyodīwū,*  
qui pensum morosè exigit; *Indulgere est ejus, qui de summo jure aliquid*  
*remittit, ut ferè parentes liberis.* Recm. in Origg. ex Casaubono. Nempe  
ubi alget seu friget institutio & castigatio. Vid. Mart. in Lex. Philolog.